

rit nec animam poena nec corpus ultra iam perimat. Nam
 in praesenti quidem vita evenire non potest ut poena
 45 corporis et vehemens possit esse et perpetua, sed alte-
 rum cedit alteri, quia corporis fragilitas utrumque
 non patitur. Ubi vero utrumque corruptela caruerit,
 poena quidem, accepta potestate, desaeviet. Sed nullum
 finem incorruptio quaesita suscipiet. Non ergo putemus
 50 quia suppliciorum nimietas ipsa dabit finem dolorum sed,
 ut diximus, peccata quidem poenas accendent. Incorruptio
 vero animae et corporis nullum suppliciiis terminum
 dabit. Dic ergo nunc quanta tempora luxuriae, quae deli-
 ciarum spatia comparari vis talibus poenis? Centum si
 55 placet annos deliciis demus, adde et alios centum si libet,
 adde et decies centum. Quae erit ex his ad aeternitatem
 compensatio? Nonne omne tempus vitae huius, quod
 deliciis frui videmur et indulgere libidini, quasi noctis
 unius somnium ad aeternitatis comparationem videtur.
 60 Est ergo aliquis qui ut una nocte delectabile videat som-
 nium, aeternas subire eligat poenas et illa pro his recipere
 vel pro illis ista mutare? Nondum descendo ad vitupe-
 rationem deliciarum, neque amaritudinem quae in eis est
 nunc aperio, quia nec huiusmodi orationi hoc tempus
 65 est, sed tunc cum forte effugere ab his potueris; nunc
 enim cum in eis passibiliter tenearis, delirare nos credes,
 si dona libidinis quae grata omnibus videntur et iocunda,
 aspera asseramus et amara.

Si vero per misericordiam Dei evadere ex huiusmodi